



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 9. Correctus Plauti locus è Milite glorioso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

posse è fine libri secundi, vbi de illa tabularum corruptione sermo est, in quibus Verres se pro Verre Verrutium fecerat. nam si in illis ita scriptum fuisset, C. CORNELIVS VERRES, non sanè oportuerat, ex Verre fecisse Verrutium. neq. procederent illa, quæ à Cicerone vrbanius dicta sunt: *Responde mihi nunc tu Verres, quem esse hunc tuum penè gentilem Verrutium putes.* nam nominis cum cognomine similitudo nihil ad gentilitatem pertinet. Alium locum proferam, qui hoc quod dico, ita manifestò confirmet, vt vix vllum dubitationi locum relictum iri putem. atque hunc eò recitabo libentius, quòd & in vulgatis libris corruptè legitur, & quidam emendare conati, magis etiam corruerunt. Ita igitur Cicero libro quarto accusationis: *Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone Frugi dixerim. verumtamen, quantum intersit, videte. Iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laborauit, quòd non modò in Sicilia, verumetiam Romæ in iudicio audiret. ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, vnde pratori annulus fieret. nimirum vt hic nomen suum comprobauit, sic ille cognomen.* Nunquam, vt opinor, ita locutus esset Cicero, si & Verres, & Frugi cognomina fuissent.

Correctus Plauti locus è Milite glorioso.

CAPVT IX.

A PVD Plautum in Milite glorioso ita vulgò leguntur hi versus:

*Nam ego hanc macharam mihi consolari volo,
Ne lamentetur, neue animum despondeat,
Quia se iam pridem feriatam gestitem,
Que misera gestit fractum facere ex hostibus.*
Cum autem illud, *fractum facere*, deprauatum esse, liquidò

liquidò constaret, homo eruditissimus, cuius labore & industria Plautinæ fabulæ plurimis sanè locis emendatior leguntur, scribendum eo loco censuit, *fratrem facere*. &, quoniam fratres interdum à Græcis *ἄδελφοι* dicuntur, qua in voce eiusdem sanguinis significatio est, iccirco hoc militem dicere credidit, cupere macharam, tingi hostium sanguine. quod si reciperem, fratres tamen potius legerem, quàm fratrem: ne perturbata numeris esset oratio. sed suum cuique, ut dicitur. mihi displicere nondum potest ea coniectura, quam, cum adolescentulus in Gallia Plautinas fabulas explicarem, iam dudum de hoc loco feceram. factum enim legendum admonueram, ubi vulgò legitur fractum. atque ea voce farcimen, ut istium, aut eius generis aliquid, credideram indicari. ut quoniam tales cibi è carnibus minutissimè dissectis confici solent, diceretur machara gestire hostes ita minutatim concidere, ut ex eis farcimen fieri posset.

Quæ se facturos iurauerint Græci cum Xerxis copiis congressuri. CAPVT X.

PRÆCLARVM sanè & magni animi plenum est iusurandum illud, quo se obstrinxerunt Græci omnes cum aduersus copias Xerxis dimicaturi essent. id autem in hæc verba conceptum est. Vitam libertate pluris non faciam. neque deseram imperatores, neque viuos, neque mortuos, sed eos è sociis, qui in prælio occubuerint, omnes sepeliam: & ubi barbaros deuicero ex iis quidem ciuitatibus quæ pro Græcia pugauerint, nullam deuastabo: quæ autem barbari partes sequi maluerunt, omnes decimabo. fanorum quæ à barbaris incensa & diruta sunt, nullum omnino exci-
tabo, sed sinam, impietatis barbaricæ extet in omni

E 5 poste-

Ant. Mauret.
Varia Lektionen
LIII
25